

1994

A

7387

3. 2x 56



Freiherr v. Ende-Silfjessnitz.

Q. D. B. V.

*Serenissimo & Potentissimo Principe
ac Domino,*

DN. FRIDERICO III.

Sacr. Rom. Imper. Archi-Camerario,
Electore Brandenburgico, ac Supremo
Borussiae Principe

&c. &c. &c.

Domino suo Clementissimo,

clementissime constitutus

Juris Professor Extraordinarius,

JOAN. SAMUEL STRYKIUS,

J. U. Licentiatus,

Ad

ORATIONEM

D. XI. Januarii in Auditorio Publico A. S. M DC XCIII.

publicis Lectionibus præmittendam,

Musarum Patronos atque Cultores

omni obsequio ac reverentia invitat.



HALÆ, Typis CHRISTOPHORI SALFELDII, REGIMINIS ELECT.

BRANDENB. Typ.



Imperiorum qvoqve fa-
ta sunt , qvæ non ubiqve in pristino
statu relinqvunt Respabl. sed subin-
de detrahunt qvidpiam , vel addunt ,
prout vicisitudines rerum id expoſcunt . Pru-
dentissime capropter censuerunt majores , in certa
capita obſtringere imperantes , ne vel potestas ni-
mia degeneret in libidinem , vel cives etiam , nullis
conſtricti Legibus , obſeqvii debitum declinent , &
Jus fasqve ex ſuo æſtiment arbitrio . Eum in fi-
nem certis ſub pactis imperii clavum committere
Principibus , ſaluti publicæ conveniens viſum eſt :
ut inde vel imperantes , qvousqve ſe imperii limi-
tes extendant , vel cives , qvousqve parendum ſit ,
perspicerent . Paſta hæc Regimen ſuſcepturo
præcripta , fundamentalium Legum nomen hu-
cuſque meruerunt : Qvæ appellandi ratio , qvam
vis non paucis hodie diſpliceat , commoda tamen
ſatis eſt , ſi genuinum pactorum effectum respi-
cias ,

cias; Hæc enim Legem contrahentibus dare, ex
nostris Juris principiis constat abunde. In Impe-
rio Romano-Germanico harum Legum nomine
veniunt Aurea Caroli I V. Bulla, Imperii Recessus
non pauci, Instrumentum Pacis Cæsareo-Sveci-
cum, & præcipue quidem Capitulationes Impera-
toriae. His vero Legibus an adeo perpetua obli-
gandi efficacia insit, ut nec ipsius Imperatoris, &
illorum, qvorum interest, consensu, mutari queant,
hucusque vix in controversiam vocatum memini.
Etenim si ipsa rerum momenta in imperio respi-
ciamus, omnia mutationi obnoxia esse, non ob-
scure apparet: Capitulationes Cæsareæ recentio-
res subinde detrahunt prioribus, addunt etiam,
prout publica Res imperii, salusque postulat. In-
terim illustrissimam anno superiori controverten-
di occasionem Statibus Imperii præbuit Nonus
ille Electoratus, Serenissimo ERNESTO AUGU-
STO, Duci HANNOVERANO, PRINCIPI OPTIMO,
ob insignia in Imperium contra orientalem pariter
& occidentalem hostem præstata officia, longe
plura merito, felicibus auspiciis ab invictissimo Im-
petatore Leopoldo nuper collatus. Exercuit sane
hæc materies ingenia Legatorum splendidissimo-
rum, in Comitiis Ratisbonensibus pro Imperii sa-
lute vigilantium, ubi tanta animorum acerbitate

) (2

con-

controversia illa hinc inde ventilata, ut ad gladium
etiam ultorem vindicemque qvidam dissentientium
provocare non erubuerint. Præcipuam con-
tradicendi causam suppeditabat Chrysobulla, non
nisi leptenarium numerum admittere visa; qvippe
creditum omni ævo fuit, sacri aliquid huic nume-
ro inesse; qvorū in negotiis civilibus pariter &
Ecclesiasticis respexisse majores, exemplis non pau-
cis demonstratu facillimum erit: Septimum diem
sacrum voluit ipse Deus: Septem Sacra menta ex-
cogitarunt Pontificii: Septem testes reqvirunt ul-
timæ voluntates: Divortium non nisi coram se-
ptem civibus Romanis fieri poterat: Qvi Jurejuran-
do suspicionem criminis a se avertere debebat Va-
sallus, septimam propinqvorum manum adhibere
tenebatur: nec ultra septimum gradum olim ex-
tendebatur successio Verum enimvero, post-
qvam præsens hoc seculum in ipso Comite Pala-
tinò Rheni exemplum præbuit, sanctitati hujus nu-
meri Electoralis, si non qvid detrahi, certe addi ali-
qvid posse, introducto Electoratu octavo, nihil re-
fragari videtur, qvo minus etiam nonum Electo-
rem recipere fas sit. Sane si plures qvam septem
testes adhibiti testamentum non reddunt irritum,
nec Aureæ Bullæ constitutio adacto Electorum
numero decrementum sentiet: ut adeo vix numero
vim


vim qvandā inesse dici possit. Imo nec novenari⁹ il-
le numerus felicis prælagii exp̄s est; Novem namq;
Musas esse credidit antiquitas, qvibus probe jun-
ctis, salva hucusq; fuerunt Imperia. Imo Nove-
narius numerus ultimus est & perfectissimus,
cui completo nihil amplius addi potest, sed ad uni-
tatem redeundum; Sic & in Platonis Schola credi-
tum qyondam fuit, qvovis septennio corpus, sed
qvovis novennio animum majora capere incre-
menta: faxit Deus, ut & hic nonus Electoratus, ani-
mos Imperii Statuum inter se non tantum, sed &
cum summo imperii capite, majori fide & constan-
tia jungat, qvam qvidem durante Electorum nume-
ro septenario octonarioq; factum meminimus.
Verum nec de numero tanta fuit concertatio, qvam
de facultate augendi numerum. Equidem invitis
Electoribus nihil hic fieri potuisse, vel exinde con-
spicuum est, qvod Capitulationibus Imperatoriis
aperto provisum pacto, ne ab Imperatore Collegio
novus præter voluntatem obtrudatur hospes; sed
an Collegio Principum, si ex horum numero ma-
jori dignitate qvendam mactet Imperator, cum tan-
ta indignatione semet opponendi licentiam indul-
geant Leges Imperii, non usq;eq; vaqve expedi-
tum. Mihi, cui per tempus illud, qvo reciprocata

in Comitiis hæc controversia , Ratisbonæ subsi-
stendum fuit, non indignum hoc thema viatum, cu-
jus rationes, utrinque in Comitiis non sine animo-
rum commotione ventilatæ , Oratione publica
exhiberentur. Postquam enim SERENISSIMUS &
POTENTISSIMUS ELECTOR BRANDENBURGICUS
FRIDERICUS III. DN. NOSTER CLEMENTISSIMUS,
facultatem mihi concessit, Jurisprudentiam extra
ordinem in Alma hac Fridericia docendi, ejusque
rei, divino fretus auxilio, mihi jam faciendum exor-
dium; non male me Cupidæ LL. Juventuti con-
sulturum censui, si momenta decantatissimæ hujus
de Jure Noni Electoratus controversiæ Inaugurali
qvadam Oratione proposuero , simulqve SERE-
NISSIMO DUCI HANNOVERANO ERNESTO
AUGUSTO, consensu Electoralis Collegii desi-
gnato, & ab Imperatoria Majestate solenni ritu in-
vestito Electori Lunæburgensi, submissè gratulan-
di materiem suppeditavero. Cui ut Excellentissimus
Regiminis Electoralis Cancellarius, Vir summus, &
negotiorum Imperii hodie omnium peritissimus,
DN. GODOFREDUS DE JENA, Mæcenas noster omni
obseqvio proseqvend⁹, Perillustr. atq; Generosissimi
Comites ac Barones , cæteriq; Musarum Patroni
& Cultores futura Mercurii die, Hora X. in Audito-
rio Majori faventissimo affectu interesse haud gra-
ven-

ventur, eo, qvō decet, obseqvio & cultū rogo con-
tendoqve.

His ita peractis, bono cum Deo spartam, qvæ
mihi clementissime commissa, pro viribus ornare
tentabo; & qvidem ipsas Institutiones imperiales
proponam publice, ea fide, ne qvidqvam, qvō ad
solidam fundamentorum Juris cognitionem spe-
ctare poterat, omittam, sed secutus Venerandi Pa-
rentis vestigia, illa, qvæ in ip̄s rerum obtinent ar-
gumentis, clare ac perspicue proponam; postea il-
lustratus Jurisprudentiam Romano-Germani-
cam Dn. STRUVII, qvem nuper vivis ereptum
merito luget ipsa Jurisprudentia. Repetam vero
illa in Collegiis privatis, additurus explicationem
Examinis Institutionum Dn. HOPPII. Qvod si pa-
riter naturalis Juris fundamenta haurire arrideat, uti
etiam revera id commendandum omnibus est, nec
hic deficiam, sed ad ductum GUILIELMI GROTHII,
qui de Principiis Juris Naturæ scripsit, ea, qvæ alias
prolixe tractari solent, in ordinem redacta
brevissimis luculenter exponam. Cum vero
multum conferat ad culturam ingeniorum, crebris
Disputationibus rationum momenta excutere, nec
hac in parte deero industriis Legum Cultoribus,
sed singulis septimanis controversias selectiores
publico examini submittam; vel, si hoc magis pla-
cue-

cuerit, ILLUSTR. PUFENDORFI utilissimum Tractatū
de Jure Naturæ & Gentium ad certas theses , publice
ventilandas , revocabo. Hæc vero ut eveniant ex
voto, DEUM OPTIMUM MAXIMUM omnis
boni fontem, largissimumq̄ve dispensatorem sup-
plex veneror, ut exoptatissimo successu, qvæ susce-
pturus sum , beare non dignetur. Qvod re-
stat, devotis Deum imploro precibus, ut servet in-
stauratorem Academiæ hujus Pium, Felicem, Au-
gustum, qvo armis pariter & Legibus florentissi-
mum teneat Regimen, & non tantum in hostilibus
præliis victor existat semper, sed etiam per legiti-
mos tramites calumniantium iniqvitates expellat ,
& fiat tam Juris religiosissimus, qvam victis hosti-
bus Triumphator Magnificus l. P. Halæ Saxon-
um A.R.S. MDC XCIII. die II X.
Januarii.



94 A 7387

ULB Halle
006 301 592


3



1/17



Farbkarte #13



18a
20

D. B. V.
A
Potentissimo Principe
Domino,
ERICO III.
er. Archi-Camerario,
nburgico, ac Supremo
æ Principe
&c. &c.
Clementissimo,
me constitutus
Extraordinarius,
EL STRYKIUS,
Licentiatus,
Ad
ITIONEM
rio Publico A. S. M DC XCIII.
ibus præmittendam,
monos atque Cultores
c reverentia invitat.
I SALFELDII, REGIMINIS ELECT.
DENB. Typ.